
264


18



# STATVTA,
# ET DECLARATIONES CONSTITVTIONVM FRATRVM DISCALCEATORVM, ORDINIS BEATÆ MARIÆ DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORM.

FACTA IN CAPITVLO GENERALI, CELEBRATO die 31. mensis Maij, Anni Domini 1659. in Cœnobio Sanctæ Cæciliæ oppidi de Riuas, Diœcesis Toletanæ, ac Prouinciæ Sancti Ioseph.

VBI IN VICARIVM GENERALEM TOTIVS DISCALceati Ordinis, canonicè fuit electus Pater N. Fr. Iosephus à Spiritu Santo, Presidente Patre nostro Fratre Ioanne à Presentatione, Proximè Vicario Generali.



# PROEMIVM.



QVANDO Iuxta numerum notatur *Constitutio*, habet vim constitutionis, vel ab ipsamet constitutione à Papa confirmata, vel à tribus Capitulis Generalibus continuis. Quando verò dicitur *secundo statuitur*, à duobus Capitulis Generalibus continuis statutum est. Quando *primo statuitur*, à præsenti tantùm Capitulo Generali sancitum. Animaduertendum præterea, derogari constitutiones, necdum in capitulo Generali proximè præcedenti, verumetiam in additionibus ad calcem constitutionis nouiter impressis, repertas, quæ opponuntur stabilitis in hoc Capitulo Generali, alijs in suo robore permanentibus.

## §. I.

## CIRCA DIFFINITORIVM GENERALE, & Prouinciale



1 COnstitutio. S.R.V. Inquisitionis coram S.D.N. Vrbano Papa Octauo, ac Eminentis. & Reuerend. D.D. S.R.E.Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus, quæ incipit Iulij 3. Const.2.&c. cum sequentibus Summorum Pontificum, legendis in quocumque Capitulo Generali, & Prouinciali; in Conuentuali verò semel in anno Feria sexta, scilicet, post Octauam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, cum extensione per totum residuum mensis Augusti, ex eiusdem sacræ Congregationis decreto, quod incipit: *In generali Congregatione, &c.* sub pena priuationis officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ, ipso facto incurrenda, alijsque arbitrio sanctitatis suæ omnibus Superioribus infligendis in perpetuum 'prout in ipsa constitutione continetur.

2 Vicarius Generalis in ipso Capitulo, in quo fuerit electus, iuret obseruare concordiam initam cum Reuerendissimo Generali Magistro, & Patribus Obseruantiç nostri Ordinis circa ministerium Redemptionis captiuorum, vt in ipsa continetur; sicut & Pater noster Frater Ioseph ab Spiritu Sancto obseruandam iurauit.

3 Constitutio. Soli Capitulo Generali licet, quæ ad leges spectant. Et constitutiones nostras mutare, addere, vel minuere, iuxta capit. 1. dist. 2. nostrarum Constit. §. *Diffinitores*, & capit. 4. eiusdem dist. §. *Quoties*, & capit. 3. dist. 1. §. *Prohibemus item.*

4 Constitutio. Dist. 2. capit. 2. ita: Diffinitores omnes in Generali Capitulo cōgregati, in omnibus, & singulis, quæ pro toto Ordine fuerint ordinanda, constituēda, diffinienda, mutanda, addenda, vel diminuenda, laudanda, approbanda, & confirmanda, ita se habeant, quod ea omnia liberè ordinent, cōstituant, diffiniant, approbent, & decernant, & quidquid per eosdem fuerit statutum, & ordinatū vniuersaliter, & inuiolabiliter, in toto Ordine nostro obseruetur: & eiusdē dist. cap. 4. ita: Quoties in Capitulo Generali quinque ex vocalibus postulauerint, aut iudicauerint expedire, quod aliquid pro ponatur ex ijs, quæ ad Capitulum pertinent, Præses tenetur illud proponere, vt in Capitulo decidatur, nisi ad mutationem, vel additionem legūm, vel constitutionum spectet, quia vt hoc in Capitulo conferatur, maior pars Capituli id petere debet. Quia tamen in hac constitutione exprimitur, quod sufficiat maior pars vocalium Capituli Generalis, vt in eodem conferatur, quę ad mutationem, vel additionem legum, vel constitutionum pertinent, & nō declaratur, an necessarius sit maior numerus sufragantium, vt dicta decernantur, & à Preside Capituli necessario confirmetur. Declaramus, quod ad mutandam in totum constitutionem aliquam ad institutum, & vitam nostri Ordinis communem pertinentem, maior pars Capituli nō sufficiat; sed necessum sit, quod nullus vocalium dissentiat; neque à Summo Pontifice, absque prædicto consensu, sub inhabilitatis perpetuæ pœna ipso facto incurrenda, Bulla aliqua circa id impetrari posit à quoquam.

5 Ex eadē constitutione declaratur necessariū quoq; esse, quod nullus vocaliū dissentiat, ad aliquid minuēdum constitutionis, ad vitā communē, seu mores pertinētis, & ad mutan-

tandum in toto, vel aliquid minuendum constitutionis ad gubernationem dumtaxat pertinentis; & ad additionem legum, ad vitam communem; seu mores, vel gubernationem spectantium, & ad mutandum in toto, vel aliquid minuendum, ex legibus vim constitutionum habentibus, per tria Capitula Generalia continua, siue ad mores, siue ad gubernationem; neque aliter possit Bulla aliqua à Summo Pontifice impetrari, sub pœna inhabilitatis vt supra.

6 Ex eadem Constitutione declaratur, quod si maior pars Capituli petere debet, quo ad mutationem, vel additionem legum, vel constitutionum num. 4. & 5. memoriales, seu petitiones ad id pertinentes sine subscriptione, vel cum illa à singulari, directæque ad Capitulū Generale nequeunt in eo legi, sed statim abrūpi. Possunt tamen videri, quę à Commēdatore cum Cōsiliarijs mituntur iuxta modum cap. 3. dist. 1. Attamen hoc non sufficit, vt dedicatur, neque etiam si quinque tantum vocales petunt.

7 Constitutio. Ad interpretandas constitutiones, siue ad mores, siue ad gubernationē pertinentes, duæ conuenire debent vocalium partes conformes. Quod si ex vocalibus omnibus tres partes non constent æquales, vota quæ de illis supersunt, non computentur: vt si sedecim sint vocales, decem ex illis ad prædicta decernenda sufficiant: sicut etiam si septemdecim adsint, quorum pars tertia constat ex quinque, quia duo qui supersunt computari non debent. Idem necessarium duximus ad deroganda, vel confirmanda statuta, 1. vel 2. Capituli Generalis præcedentis.

8 Ex eadem constitutione declaratur quo ad interpretandam constitutionem, vel derogandum statutum immediatè supra necessaria est postulatio quinque vocalium.

9 Constitutio. Nomini Diffinitorij Generalis, & Prouincialis, ad examen legitimationis vocalium ante electiones controuersiarumque decisionem circa ipsas, solum intelliguntur. Pater Vicarius Generalis, Prouinciales, seu Vicarij Prouinciales, qui per electionem officium obtinuerunt, necnon & Diffinitores: non verò alij Capitulares.

10 Constitutio. Pœnam grauissimæ culpæ in nostris constitutionibus, dist. 2. cap. 11. circa finem expressam, intelligendam esse declaramus pœnam grauioris culpæ.

11 Secundo statuitur. Cum capit. 3. dist. 2. nostræ constitutionis vocalibus ad Capitulum Generale venientibus ante

ante vigiliam vigiliæ Pentecostes, pœna arbitrio Diffinitorij applicanda sit, & cap. 7. eiusdem dist. vocalibus ad Capitulum Prouinciale venientibus ante tempus præfixum, pœna grauioris culpæ minimè relaxanda imponatur: Declaramus standum esse in vtroque Capitulo dispositioni prædicti capitis tertij.

12 Constitutio. In prima Sesſione Capituli, tam Generalis, quàm Prouincialis, imponatur ab eo, qui pręest pręceptum in scriptis vocalibus omnibus, ac singulis, quod si aliquod impedimentum excomunicationis, suspensionis, & interdicti, vel aliud quodcumq; Canonicum, seu legitimum, quod probari posſit notoriè, in aliquo ipsorũ reperiatur; à quolibet qui illud sciat, antequã vlterius procedatur, declaretur. Illo verò probato, expellatur à Capitulo, qui tale patitur impedimentum.

13 Secundò statuitur. In vtroque Capitulo, tam Generali, quàm Prouinciali, ante electionem, Præses moneat vocales, ne aliquem eligant, qui impedimentum aliquod canonicum, seu legitimum pasſiuum, ex supra relatis, habere dignoscatur.

14 Constitutio. Ante electiones Vicarij Generalis, & Prouincialis Pręses absoluat ad cautelam vocales omnes sub hac forma. *Confiteor, &c. Misereatur, &c. Ego auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritu Sancti, & auctoritate mihi commissa absoluo vos ab omi vinculo irregularitatis, suspensionis, & excomunicationis latæ à iure, vel ab homine, si indigetis, & habilito vos quantum ex iure, & priuilegijs possum ab omni impedimento, si quod haberis ad electiones actiuas, & pasſiuas in nomine Patris, & Filij, &c.* Finito autem Capitulo Generali, fit absolutio sub eadem forma, qua finito Capitulo Prouinciali distint. 2. cap. 13.

15 Constitutio. Quidquid in Diffinitorijs Generali, & Prouinciali, siue intra, siue extra Capitulum decidendum proponitur, prius consulatur in voce, & expendantur rationes, incipiendo à Diffinitoribus in profesſione minus antiquis, vsque ad Præsidem, ita vt vno loquente, alius non loquatur, & postea decidatur, vel voce tantum, vel per vota secreta, scilicet per schedulas, aut calculos albos, & nigros, iuxta qualitatem rei decidendæ.

16 Constitutio. Si Vicarius Generalis post acceptam sui

sui officij gubernationem, velit illam dimittere, & renuntiare: si renuntiatio fiat intra Capitulum Generale, à toto Capitulo aceptari debet, dummodo ad id rationes suppetant. Si verò fiat extra Capitulum, à Diffinitorijs vtriusque Prouintiæ, videlicet Conceptionis in VVandalia, & S. Ioseph in Regno Castellæ per vota decisiua acceptari deuet. Nec sit necessè vt ad hoc prædicta Diffinitoria, simul congregentur; sed vnumquodq; in sua Prouintia renuntiationis prædictæ causas examinet: & dictus Vicarius Generalis renuntians determinet Diffinitorium, quod primo examinet, an acceptanda sit huiusmodi renuntiatio, vt possit, expensis rationibus illius remittere, quę decreuit, & rationes decreti ad aliud Diffinitorium; & subscribant suffragantes in dictá acceptatione renuntiationis Vicarij Generalis.

§ 17 Constitutio. Dist.2.cap.2. Vacante Vicariatu Generali Ordinis, per ipsius mortem, renuntiationem, vel quouis alio modo, §. Statuimus, &c. Quod tempus fixum celebrandi proximum Generale Capitulum, & §. Vacante igitur, &c. quo ad eum qui in prædicto officio succedit, obseruetur. Declaramusque §. 1. & §. Quod si electorum, &c. Si Prouincialis, vel eius defectu Vicarius Prouincialis Prouintiæ ex qua non succesit Vice Vicarius Generalis, mori contingat, eligitur Vicarius Prouincialis à quatuor Diffinitoribus dumtaxat eiusdem Prouintiæ, Præsidente tunc in Diffinitorio antiquiori ratione professionis; si autem aliquis Diffinitorum, vel Procurator Generalis eiusdem Prouintiæ mori contingat, eligitur à Prouinciale, vel eius defectu à Vicario Prouinciali cum reliquis Diffinitoribus. In Prouintia verò ex qua sucesit Vice Vicarius Generalis, non est eligendus Vicarius Prouincialis, ex §. His ergo omnibus, &c. sed ijdem Electores, quos Vicarius Generalis vacans reliquit, permaneant; ita vt Religio in eodem prosus statu perseueret, sicut fuerat ante vacationem Vicariatus Generalis. At si mori contingat Procurator Generalis eiusdem Prouintię, elligitur à quatuor Diffinitoribus, vt supra; si verò mori contingat aliquis Diffinitorum, elligitur à reliquis tribus Diffinitoribus (& primò statuitur etiam à Procuratore Generali Prouintiæ) ex eodem §. & §. Quod si Electorum, &c. Vice Vicarius Generalis nequit nouos Electores elligere, neque aliquo vacante vocem habere in eius electione. Dictus ergo Vice Vicarius

neralis ex constitutione addita Presidens Generalis nominetur vsque ad proximum Generale Capitulum, retento Prouincialatu cum prædicta præsidentia ad tempus. Si autem in eo Capitulo Generali eligatur in Vicarium Generalem, tunc eligitur Vicarius Prouincialis suæ Prouintiæ, sicut in vacante Prouinciali, & quando à predicta Prouintia abest, nominet Præsidentem Prouincialem ex Constitutione 46. circa Prouincialem, & Vicarium Prouincialem.

18 Ex eadem constitutione. §. Dictus ergo, &c. Declaratur quod omnes Electores Capituli Generalis venire tenẽtur ad Capitulum Generale. Clausula subsequens. Quod si aliqui venire noluerint, aut alia causa legitima, tunc impediti fuerint, ius eligendi tantùm apud illos sit, qui præsentes fuerint; appellat ad ius Capituli Generalis, non ad vocales, qui venire nolle possint.

19 Secundo statuitur. Si aliquis Diffinitor, seu vocalis tempore Capituli Generalis infirmitate, aut aliquo legitimo impedimento laboret, nec officium renuntiare velit; ad renuntiandum compelli non possit, nec alius in eodem officio in interim eligatur, vt Capitulum adueniat.

20 Primo statuitur, & declaratur, quod si prædictus vocalis impeditus, de facto renuntiet, à Diffinitorio suæ Prouintiæ acceptetur, & alius eligatur forma præscripta num. 17. sine consultatione Præsidentis Generalis.

21 Constitutio. Dist. 2. cap. 9. §. Quoties ita: Si Prouincialatus absolutè vocaberit per priuationem, aut renuntiationem illius, tunc Vicarius Generalis, à quo talis priuatio, aut renuntiatio acceptatur cum quatuor Diffinitoribus per secreta suffragia Vicarium Prouincialem eligant (& ex constitutione addita cum voto Procuratoris Generalis Prouintiæ ad electionem.) Si Vicarius Generalis tunc ex Prouintia abesse contingat, obseruetur idem caput, ex constitutione addita correctum ibi. Poterit per se solum electionem efficere, id est, nominare Præsidentem Prouincialem, quovsque veniat ad electionem cum Diffinitorio faciẽdam. Si denique morte Prouincialatus vacauerit, obseruetur etiam idem caput. Qui autem interea succedit ordine ibidem præscripto in officio Vicarij Prouincialis, Presidens Prouincialis nominatur, vsque ad electionem Vicarij Prouincialis à Patre Vicario Generali, & Diffinitorio facienda.

22 Consti-

22 Const. Processus, & causæ iuditiales Religiosorum tradātur à Vicario Generali, & Prouintiali, transanctis suis officijs; & Prouintiales sub formali præcepto sanctæ Obidientiæ, teneantur de illis facere inuētarium, & Diffinitorio Prouintiæ tradere; ex cuius cōsensu, causę quę asseruari debent, seruentur sub claui in loco securo; & quę rescindi comburātur. Idem faciat sub eodem præcepto formali Pater Vicarius Generalis, respectu causarum, quæ ad Prouintias pertinent.

23 Constitutio. Vicarius Generalis, aut Prouintialis nō possint rescindere, comburere, aut delere processus, causas, schedulas, aut quolibet aliud scriptum pertinens ad aliquam Religiosorum causam, nisi talia processus, causæ, schedulę, aut scripta spectent ad Religiosum defunctum.

24 Constitutio. Ad recipiendum iterum Nouitios ab habitu semel expulsos, præter examen, & informationem à Conuentu faciendam, adsit etiam consensus Diffinitorij Prouintiæ, sine quo habitus non tradatur. Neque alterius Ordinis Religiosi, etiam nostræ Obseruantiæ; si suffragia Conuentus primo non conuenerint; ad habitum possint admitti in alio Conuentu; sed iterum in eodem proponi possunt, vt admittantur, & non vltra. Idem fiat cum omnibus, qui habitū nostrum postulauerint, qui semel in vno Conuentu dimissi, in alio non recipiantur.

25 Constitutio. Possessiones Conuentuum, redditus, & bona quæcumque, siue inmobilia, siue præciosa mobilia nullus, etiam Superior, neque Diffinitorium, potest extra casus à iure permissos, vendere, aut alienare, aut aliquo modo cōmutare, neque contractus à sacra Congregatione Concilij Ss.D.N. Papæ Vrbani Octaui exercere, sine licētia inscriptis Sedis Apostolicæ, sub censuris, & pœnis inhabilitatis perpetuæ ab eadem sacra Congregatione taxatis, & quidquid contra factum ipso iure est nullum, atque irritum. Commendatores autem, seu eorum Præsidentes prædicta facientes in casibus à iure permissis, etiam de consensu maioris, & sanioris partis illius Conuentus ad quem pertinent illa bona; si tamen non absit licentia inscriptis Diffinitorij Prouintiæ, subiacent pęnis contentis in constit. dist. 2. c. 18. & quidquid factum irritum, & innane. Sic concordamus capita nostrarum constitutionum 18. & 26. dist. 2. cum decreto sacræ Congregationis de rebus non alienandis. Qui autem sint casus à iure per missi, & quæ prohibita continentur inter Instructiones Ordinis.

26 Con-

26 Constitutio. Abrogamus clausulam, cap.24.dist.2. nostræ Const.qua dicitur: Statuimus, ne Prælatus, etiam de sui Capituli consensu, possit librum aliquem alienare, sub pœna priuationis ab officio per vnum annum.

27 Constitutio. Ad priuationem Commendatoris, & acceptationem renuntiationis officij eiusdem, & ad electionem nouã alterius, & idẽ de reliquis vocalibus Capituli Generalis, & Prouincialis (excepta priuatione, & renuntiatione Prouincialis, & electione Vicarij Prouincialis, num.21.) & ad expulsionem Religiosi professi ab habitu, vel ad pœnam grauissimam infligendam, non possit se solo, Prouincialis procedere, nisi cum quatuor Diffinitoribus Prouintiæ, & voto eorum cõsultiuo, & decisiuo. Aliter sint nullæ omnes, & singulę sententię, necnõ & acceptationes, electiones, aut priuationes prædictę non obstante, cap.18.dist.2.& alijs nostrarum constitutionũ, quibus per tria Capitula Generalia cõtinua fuerunt addita omnia prædicta. Const. idem debet obseruari à Patre nostro Vicario Generali, quantum ad electiones præfactas.2. statuitur, etiam quantum ad priuationes.

28 Primo estatuitur, & declaratur, quod pœna grauissima supra dicta intelligitur in omnibus casibus, quibus constitutiones nostræ infligunt, expulsionem ab habitu, & tamen nõ est inferenda, sed commutanda. Si verò sit pœna grauioris culpæ simplicis, vel propter primam fugam, cap.de fugitiuis, potest solus Pater Prouincialis, non tamen aliter aggrauans, vel excedens nisi cum voto consultiuo duorum Diffinitorum ex antiquioribus in professione.

29 Contitutio. In ordine ad causas iudicandas, possit circa prędicta Vicarius Generalis procedere iure ordinario, cum voto decisiuo duorum Diffinitorum, quin egeat quatuor Diffinitorum voto decisiuo, vt per nostras constitutiones illi conceditur (nisi in causa expulsionis, de qua si in prima instantia cognoscit, cum voto decisiuo quatuor Diffinitorum, procedere debet.) Si verò per appellationem, seu recursum de causa iam iudicata à Prouinciali, & toto Diffinitorio: tunc si sit intra Prouintiam, vbi de prædictis causis agitur, tenetur iudicare cum voto decisiuo duorum Commendatorum eiusdem Prouintiæ (excepta causa expulsionis, in qua, vt prædictum est, tenetur procedere cum voto decisiuo quatuor Diffinitorum, aut Commendatorum.) Si autem

sit

sit in alia Prouintia; cum voto decisiuo duorum Diffinitorum eiusdem Prouintiæ, in qua assistit.

30 Constitutio. In secundo anno trienij Capituli Prouincialis, die videlicet omnium Sanctorum, in qualibet Prouintia congregentur Prouincialis, & quatuor Diffinitores in domo designata, vt omnium Conuentuum rationes, & bonorum computum exquirant. Commendatorumque renuntiationes acceptent, vel dimittant per secreta suffragia, stando maiori suffragantiũ parti, vt autem fraus nulla subrepat omnes commendæ ad vota secreta, tunc reducantur, nulla illarũ excepta. In qua Congregatione, si Pater Vicarius Generalis in eadẽ Prouintia fuerit, teneatur assistere, & presidere; si verò sit absens, & de Præsidente dictæ Congregationis intra viginti dies admonitus non prouiderit, idem Prouincialis, & Diffinitores, vt prædicitur, congregati, prædicta omnia exequãtur. Pater verò Vicarius Generalis iusta de causa possit anteponere, vel posponere: per vnum mensem dictam Congregationem intermediam.

31 Primo statuitur. Domus pro congregatione intermedia designetur à Prouinciali cum consultatione P. N. Vicarij Generalis, vel eius Commissarij Generalis.

## §. II.

## CIRCA DIFFINITORES.

32 Constitutio. Officium Diffinitoris vacat per absentiam sex mensium à sua Prouintia, si talis absentia fiat sine consensu Diffinitorij eiusdem Prouintiæ, & etiam si per vnum annum infirmitate impeditus, Diffinitorio assistere nequeat. Si autem Diffinitor aliquis intra suam Prouintiã absens fuerit, & monitus intra quindecin dies ad Diffinitorium extra Capitulum non veniat, loco absentis ad casum definiendum succedat, qui in ea Prouintia Vicarij Generalis munus obtinuit, quod si plures fuerint, ille qui in dicto officio tempore præcesit, & his deficientibus, qui Prouincialis, aut Vicarij Prouincialis per electionem, & absolutè eodem ordine offitium gesit, & deficiente hoc, qui Diffinitoris in præcedenti trienio munus obtinuit, seruato inter Diffinitores ordine professionis. Defectu verò omnium prædictorum,

 succe-

succedat Commendator Conuentus, in quo Diffinitorium celebratur.

33 Constitutio. In electione Diffinitoris, quæ fit à Prouintiali prædictum obseruetur; secus autem si electio fiat assistente. P. Vicario Generali in hoc enim casu electio vacantis Diffinitoris fieri debet ab ipso cum Prouintiali, & tribus tantum Diffinitoribus per vota decissiua horum quinque vocalium. Si verò aliquis ex supra nominatis antiquior, vel ratione dignitatis, & offitij, vel ratione professionis (vt in Diffinitoribus contingit) absens fuerit dummodo vltra sex leucas non distet, ad talia determinanda eius aduentus expectetur, qui admonitus intra duos dies venire teneatur: Quod si intra duos dies non venerit, alter ordine prædicto succedat, & sic de reliquis.

34 Constitutio. Diffinitores canonicè eligantur per maiorem partē suffragiorū, & electores duas ad minus schedulas à Secretario accipiant, in quarum vnaquaque quatuor diuersa nomina Diffinitorum eligendorum sint scripta ita diuisa, vt nomen vniuscuiusque à reliquis diuidi possit.

35 Constitutio. Rationes dati, & accepti, quas Commendatores ad Prouintiale Capitulum deferunt legantur, & examinentur in Diffinitorio eiusdem Capituli ante electiones Diffinitorum.

36 Constitutio. In electionibus Diffinitorum intra Capitulum Prouintiale declaramus suffragari debere Procuratorem Prouintiæ, simul cum Patre Vicario Generali, Prouintiali, Diffinitoribus, & Commendatoribus, cum in nostra constitutione exprimatur. Quod Diffinitorum electio procedat ab eisdem, à quibus processit electio Prouintialis, non obstante quod dicitur cap. 12. & 17. dist. 2. eiusdem constitutionis, videlicet, Procuratores solum habeant vocen in electione Vicarij Generalis, non autem in alijs actibus Diffinitorij, hoc namque solum excludit Procuratorum suffragium in electionibus, & decisionibus intra Diffinitorium faciendis.

37 Constitutio. In electionibus tam Diffinitorum, quàm aliorum vocalium Capituli Generalis, & Prouintialis, si in Prouintia adsit Pater Vicarius Generalis, debeat, & non sit ei liberum, suffragari. Si verò absens fuerit antequam ad prædictas electiones procedatur, debet consuli circa illas.

D 2 38 Con-

38 Constitutio. Diffinitores electi in Capitulo Prouintiali, vel extra Capitulum, si per duos annos continuos offitium non exercuerint, eligi iterum poterunt in eodem offitio in Capitulo immediate sequenti. Si autem Diffinitor aliquis in Capitulo, vel extra Capitulũ eligatur, & per duos annos continuos, & completos offitium gesserit, eligi non poterit in Diffinitorem in Capitulo Prouintiali, nec in toto trienio immediate sequenti, sicut decernitur cap. 9. dist. 2. nostrarum constitutionum de Vicario Prouintiali.

39 Primò statuitur. Ad obseruantiam Bullarum Summorum Pontificum Gregori XV. Vrbi VIII. & Alexandri VII. Diffinitor si per duos annos cõtinuos offitium non exercuit, sicut potest reeligi in Diffinitorem, etiam in Commendatorem, vel Procuratorem Generalem Prouintiæ. Si autem per tres, vel duos annos continuos offitium Diffinitoris obtinuit, non potest reeligi in Diffinitorem, vt constitutione antecedenti stabilitum est; potest tamen immediate eligi in Commendatorem, vel Procuratorem Generalem Prouintiæ. Si verò tale offitium Commendatoris, vel Procuratoris Generalis Prouintiæ per duos annos continuos exercuit, nequit eligi in Diffinitorem, neque Commendatorem, nec Procuratorem Generalem Prouintiæ.

40 Constitutio. Prouintiales præsentibus Diffinitoribus moneant Commendatores quanta eos debeant veneratione tractare; neque sotios audeant eos alis Religiosis asignare, & si quę in ipsis Diffinitoribus viderint emendatione digna, secretè eos admoneant, quod si admoniti se non correxerint, eidem Prouintiali denuntient, qui eos animaduertat, & suplitia inferant illorum attenta qualitate. Hoc idem à fortiori attendant Vicarij Conuentuum, quamuis sint Præsidentes in capite.

41 Secundo statuitur. In consultationibus Conuentuum circa res alienandas, vel alijsque recursum ad Diffinitoriũ habere debent, non asistant Diffinitores cum reliquis Conuentualibus, quia iuditium postea cum Superiori spectat ad ipsos.

§. III.

## §. III.

## CIRCA PATREM NOSTRVM VICARIVM Generalem.

42 CONstitutio. Dist. 1. cap. 4. Obseruetur, §. Statuimus, &c. De eo qui functus est officio Vicarij Generalis.

43 Primò statuitur in cap. 23. de Collegijs, dist. 2. in vnaquaque Prouintia consistere posse tria Collegia, quorum lectiones relinquuntur arbitrio Patris nostri Vicarij Generalis.

44 Secundo statuitur. Offitium Commissarij Generalis Prouintię Siculę non expiret per mortem, aut renuntiationem, aut absolutionem offitij Vicarij Generalis, qui ipsum nominauit. Imò potius iuuemus, vt talis Commissarius offitium exerceat, & locum retineat vsquequò alius Commissarius ipsi succedat, teneaturque obligare, & si opus fuerit etiam compelere electores Capituli Generalis ex eadem Prouintia, vt ad ipsum Capitulum veniant, quando celebrandũ est, modo non sint legitimè impediti.

## §. IIII.

## CIRCA PROVINCIALEM, ET VICARIVM Prouincialem.

45 CONstitutio. Cum in nostra Constitutione, cap. 8. dist. 2. duodecim anni professionis præscribantur eis qui in Prouinciales sunt eligendi, & cap. 13. einsdem dist. dicatur, quod post decimum annum à professione eligi possint, decisioni capitis octaui standum est declaramus.

46 Constitutio. Quoties Prouincialis, vel per absentiã à Prouintia, vel infirmitatem, Vicarium Prouincialem instituit, talis Vicarius *Præses Prouincialis nominetur*: dictique Prouinciales cum limitatione facultatem tradant dictis Præsidentibus Prouincialibus circa visitationes Conuentuum, & licentias conuentualitatis, audiendi confessiones, prædicandi, & similia nisi in aliquo vrgenti casu.

47 Secundo statuitur. Sententia à pleno Diffinitorio lata, & à reo acepta non possint reuocari, nec moderari, nisi à toto Diffinitorio à quo processit.

48 Con-

48 Constitutio. Dist.2.cap.9.obseruetur. De eo qui potitus est offitio Prouincialis per duos annos integros, sicut de offitio Vicarij Prouincialis.

49 Primo statuitur. Ad obseruantiam Bullarum Summorum Pontificum Gregorij XV. Vrbani VIII. & Alexandri VII. Prouincialis, vel Vicarius Prouincialis, qui per duos annos integros offitium exercuit, non potest immediatè eligi in Diffinitorem, neque Commendatorem, neque ProcuratoremGeneralem Prouintiæ, sed per trienium vacat. Si autem officium Prouincialis, vel Vicarij Prouincialis per duos annos integros non gesit, sicut potest reeligi ad idem offitiũ ex constitutione, dist.2.cap.9. ita etiam immediatè in Diffinitorem, vel Commendatorem, vel Procuratorem Generalem Prouintiæ altera quacumque electione exclusa, etiam si offitium secundum per breue tempus tenuisset, excepto offitio Vicarij Generalis, ad quod quisque potest ascendere.

## §. V.
## CIRCA ELECTIONES.

50 CONstitutio. Omnes electiones, quæ circa plures versantur, fiant per schedulas manu Secretarij Capituli scriptas, in quibus nomina eligendorum sint expressa, & nulli ex vocalibus Capituli liceat alijs schedulis suffragari non obstante cap.3. dist.2. §. *Vt autem ex literis*, sed quoad numerum schedularum trium, vel quator obseruetur. Electionem verò quæ circa aliquid singulare versatur fieri volumus per calculos albos, & nigros, vel per duas schedulas, quarum altera ad reprobandum habet literam R. & ad aprobandum litera A.

51 Secundo statuitur. Clauigeri Conuentuum per schedulas eliganturad eum modum, quo obseruatur in Canonicis electionibus, & eorum electio fiat in principio cuiuslibet trienij. Per schedulas etiam debent eligi informantes de recipiendis ad Ordinem, & Procurator Conuentus, quia eorum electio versatur circa plures.

52 Constitutio. Clausula Constitutionis nostræ, qua decernitur, quod panis, & aqua electoribus ministretur, cum interse non conuenerint circa electionem Prouincialis, vt dici-

dicitur cap.8.dist.2.intelligi debent, si intra duos diesse iuicem cōformare nolluerint. Idem fieri iubemus in electione Vicarij Generalis.

53 Primo statuitur, & declaratur cap.15.de electionibus in communi, & in particulari, dist.2. *§. In electionibus.* Vnum, vel duos Fratres ex dignioribus ad offitiū exequendum, quē, vel quos potest Superior eligentibus ob oculos ponere, non debeat esse in Diffinitorio pleno, sed extra inconsultatione, obseruata forma cap.3.dist.2. *§. Vt autem eligentium libertas.*

54 Constitutio. Si prima, & secunda vice non fiat electio per scrutinium, publicentur in Diffinitorio suffragia, quæ in duobus illis scrutinijs fuerint diuersis tributa personis

## §. VI.

## CIRCA PROCVRATOREM ROMANÆ CVRIÆ.

55 Constitutio. Officium cuiuslibet vocalis siue pertineat ad Capitulum Generale, siue ad Prouintiale, statim vacat, si in Procuratorem eligitur Curiæ Romanæ, & munus talis Procuratoris aceptat, qui dictum offitium habebat. Prædicto verò Procuratori plenam potestatē concedimus ad tollendas irregularitates apostatarum, & eosdem habilitandos ad Sacramentorum administrationem, præter ea quæ illi conceduntur, cap.5.dist.2.nost.const.

56 Constitutio. Clausula constitutionis nostræ, cap.4. dist.2. Qua decernitur, non posse Vicarium Generalem ob offitio remouere Procuratorem Generalem Romanæ Curiæ, nisi in Capitulo, sic accipienda est, vt nomine Capituli intelligatur Diffinitorium illius Prouintiæ cuius filius est ipse Procurator.

57 Primo statuitur. Quod Procurator Generalis vniuscuiusque Prouintiæ post eius electionem, coram Diffinitorio iuramentum fidelitatis emittat, circa negotia ad commune Prouintiæ pertinentia, sicut Procurator Generalis Regiæ Curiæ in constitutione, dist.2.cap.5. §. Ad negotia.

§. VII.

## CIRCA COMMENDATORES.

